

autem ex Scripturis demonstretur fuisse haec communia ceteris Apostolis ostendimus et in prima Thesi, ubi fecimus satis Protestantibus arguentibus ex Scripturis, et in secunda et tertia ubi ostendimus dignitatem confirmatoris fratrum in fide ac pastoris totius ovilis Christiani collatam esse Petro, ipsiusque propriam esse. At nunquam, ait, in Scripturis Apostoli dicuntur subiecti Petro? si quaerit in Scripturis haec ipsa verba, id concedimus; at quid inde? an forte reperit scriptum quod Petrus sit primus inter pares? Porro si rem ipsam quaerit; nonne qui Petrae Ecclesiae inniti debet, qui ab eodem confirmandus est, qui in Ecclesia quidem est sed non habet claves, non est Pastor totius ovilis, is debet esse subiectus illi qui est Petra, Confirmator, habet claves regni et est Pastor omnium? Paulus vero se parem quidem facit Petro in Apostolatu, at id non excludit Primatum Petri, nec eius reprehensio id suadet ut iam vidimus.

2º Dicimus quod si Primatus Petri ex Scripturis constat, ut ipse Dr. testatur, constat pariter Primatus iurisdictionis. Nam unde probat id ex Scripturis constare? ex historia scilicet Apostolici temporis. Nam iam Mattheus Apostolos recensens Petrum appellat primum. Tum Petrus dirigit electionem Matthiae, primus die Pentecostes docet, et huiusmodi quae prostant in Actibus Apostolorum. At primo quis non miretur Primatum Petri probari non ex verbis Christi ad Petrum, quibus certe dignitas Petri contineatur oportet, sed ex quibusdam narrationibus quae non nisi aliquod exercitium illius iuris quod Christus Petro concessit reprezentare possunt? Si verba Christi dicta ad Petrum Primatum eius non ostendunt, quia ut adversarii aiunt, in Petro dicta sunt omnibus Apostolis ideoque exhibitent potestatem omnibus Apostolis communem; cur eadem adhibita interpretandi lege non licebit affirmare quidquid egit Petrus id ab eo ita esse peractum ut ex aequo potuerit fieri a quovis alio Apostolo, ipsumque aliorum nomine egisse, et veluti ab ipsis delegatum, quemadmodum suadere videtur eiusdem missio Samariam? At Mattheus ipsum appellat primum. Id profecto docere debebat istum doctorem quod Primatus Petri demonstratio pendet ex verbis Domini ad Petrum; et quia his verbis potestas Petro promissa et collata significatur, Primatus proinde Petri non eoredit ut sit primus inter pares sed ceteris auctoritate praemineat. Sane Mattheus haud obscure significat cur Simonem vocet primum, quia nempe est Petrus: *Primus ait, Simon qui dicitur Petrus;* ratio ergo eius primatus est in eo quod dicitur Petrus. Quaerenda est itaque significatio huins appellationis; at eam ubi repieres nisi penes eundem Mattheum XVI in verbis Domini? Ex his igitur Primatus Petri colligendum est. Porro

ibi non de aliquo simplici honore sed de auctoritate et iurisdictione sermo est: ergo si Primatum Petrus obtinuit, Primatum obtinuit iurisdictionis.

3º Nec felicior est iste Doctor in afferendis auctoritatibus Patrum (§. 10), ex quibus, ut ipse ait, illud efficitur quod Petrus fuerit *primus inter pares, nihil plus et nihil minus.* Profertur primo loco testimonium Cypriani quod iam expendimus in 1º Th. pag. 276. Ex interpretatione quam dedimus verborum Cypriani satis constat quam inepte ad eum provocetur. Sed ut magis pateat inscitia arguentis hanc libet addere animadversionem. Quinam est scopus Cypriani cum provocat ad verba Domini Tu es Petrus etc. institutionemque Primatus? nempe ut ostendat ex Christi institutione unum esse sicut in universa Ecclesia, ita in singulis Ecclesiis cui ab omnibus parentum sit; et hinc oriri haereses et schismata quia haec dominica institutio non servatur. Itaque iuxta nostrum doctorem haec est argumentatio Cypriani: Unus est ex Christi institutione cui omnes subesse debent, nempe Episcopus; nam Christus Petrum constituit primum inter pares. Optima certe argumentatio ex qua oppositum prorsus consequitur; nam primo a paribus nulla subiectio debetur. Eadem ratione ait accipienda esse verba Optati, eaque sunt quae dedimus in 1º Th. pag. 271 seq. Intelligenda quidem sunt quemadmodum nos demonstravimus intelligenda esse verba Cypriani; at si secus ea vis intelligere de quodam primatu honoris tantum, primo quomodo id demonstras? frustra vero penes hunc Doctorum huius rei demonstrationem requiras; sufficit ei forte quod verba Optati ita possint accipi. Verum possunt ne reapse accipi hoc pacto? loquitur S. Optatus de cathedra episcopali: cathedrae autem episcopalis nomine aetate certe Optati intelligebatur cathedra auctoritatis et regiminis: hanc cathedram singularem Petri statutam esse docet ut unitas ab omnibus servaretur; est ergo haec cathedra principium unitatis: at principium unitatis in societate, cuiusmodi est Ecclesia, quid est nisi auctoritas? porro huic cathedrae ipsi Apostoli adhaerere debebant ut futuri fuisserent schismatici, si contra eam collocassent cathedram suam: at schismaticus in Ecclesia quis unquam reputatus est nisi qui se subtrahit a debita subiectione Pastoribus? loquitur ergo Optatus de cathedra potestatis cui ipsi Apostoli subesse deberent: Primatus proinde qui Petro asseritur non is est tantum quo primus ipse sit inter pares. Producitur quoque testimonium Leonis M. ex serm. IV in natali suee assumptionis: ubi dicitur quod etsi in populo Dei multi sint sacerdotes (perperam interpretatur hic doctor Priester; intelliguntur enim Episcopi) multique pastores, omnes tamen proprie regit Petrus quos principaliter regit et Christus. An qui regit proprie alios est solum

inter eos tanquam primus inter pares? quis adeo desipit? Profert et verba Hieronymi ex testimonio a nobis recitato (pag. 249.) ubi dicit electum ex Apostolis Petrum ut capite constituto schismatis tolleretur occasio. An huiusmodi caput solum est ille qui est primus inter pares, et non potius qui in omnes iurisdictione potitur? Audiat ipsum Hieronymum se interpretantum in lib. adv. Lucifer. n. 9. « Ecclesiae salus in summi Sacerdotis dignitate pendet; cui si non exsors quae-dam et ab omnibus eminens tribuitur potestas, tot in Ecclesia orientur schismata quot sacerdotes. » Tum non pauca Dr. Langen ex Patribus sive latinis sive graecis recitat testimonia, quibus paritas asseritur inter Petrum et Paulum, sed paritas ratione meritorum, laborum et martyrii: haec vero quid ad nostram quaestionem? De sententia vero Gregorii M. detectrantis titulum Episcopi oecumenici disputabimus suo loco inferius. Satius vero fuisse abstinere a citando Ambrosiastro cuius nulla est auctoritas quemadmodum nulla est certa notitia quae habeatur an quae ex eo citantur profecta sint a catholico quodam an a schismatico (cf. admonitionem Maurinorum praemissam huic commentario in 4<sup>o</sup> Tomo operum S. Ambrosii). Et haec arbitramur satis esse ut intelligatur quo argumentorum pondere Doctor iste sententiam catholicam impugnet.

V. Consideremus ergo difficultatem quae per se sponte oritur contra Primatum Petri supra ipsos Apostolos ex praerogativis propriis Apostolorum. Conferamus simul Petrum et quemvis alium Apostolum. Uterque immediate missus a Deo; uterque instructus potestate praedicandi ubique authentice et infallibiliter; uterque praeditus potestate ubicumque et quaecumque velit ligandi et solvendi, et haec sunt de essentia Apostolatus: praeterea uterque instructus potestate ordinis, quam licet quis ab alio accipiat, non fit tamen eo ipso minor dante. In quo ergo Petrus alios Apostolos excedit? quo eius primatus in ipsis Apostolos reddit?

Responsio dupli parte constat. Primo scilicet respondemus Petri potestatem fuisse *ordinariam*, Apostolorum ceterorum *extraordinariam*; quod quidem est demonstrandum. Contendimus scilicet potestatem totius collegii apostolici fuisse ordinariam, ordinariam quoque potestatem Petri: nec de alia auctoritate a Christo instituta mentionem faciunt Evangelia, in quibus Christus vel omnes simul Apostolos, vel unum Petrum alloquitur. Contendimus vero eam potestatem, quae singulis aliis Apostolis facta fuisse creditur, quaeque hoc reddit ut fuerit iurisdictio universalis quoad omnes fideles, et auctoritas magisterii infallibilis, fuisse extraordinariam. Quocirca defendimus ordinariam in Ecclesia eam tantum potestatem quam a Christo institutam esse ex historia evangelica institutionis Ecclesiae novimus, quod

non video cur non probetur Protestantibus. Sane proferatur testimonium quo demonstretur Christum aliis Apostolis singillatim ac seorsim sumptis aliquid auctoritatis contulisse? Iam vero quod potestas totius collegii apostolici, in quo et Petrus erat, sit ordinaria, facile omnes dabunt, ipsique haeretici qui eam in universa Ecclesia perseverare docent. Quod autem potestas data Petro ordinaria quoque fuerit mox demonstraturi sumus in seq. Thesi, et idecirco nunc supponere licet. Illa vero potestas universalis et auctoritas infallibilis singulorum Apostolorum certe erat extraordinaria. Nam in hac constat historice nullos exstitisse successores qui singuli eam obtinerent. Episcopi enim qui praesunt debent singuli singulos suos greges pa-scere, ut Petrus 1<sup>o</sup> ep. V, 2. praecepit et Paulus Act. XX, 28., atque canonibus Apostolicis (cf. Cann. XIV, XXXII, XXXV.) primorumque Conciliorum sanctum est. Nullus praeterea Episcopus seorsim est infallibilis; secus tot Episcopi non fuissent haeretici: fac enim e. g. Nestorium fuisse infallibilem, erravit ergo Cyrus eum condemnans, et Caelestinus; aliquis ergo fallibilis erat. Itaque ea universalis potestas iurisdictionis, et magisterii infallibilitas singulis concessa propria erat Apostolatus, at hic desiit desinentibus iis primis missis immediate a Deo; ceteri enim non amplius primi, sed secundi. Atque haec intelligenda sunt de Episcopis singulis comparatis cum Apostolis: si enim spectetur totus Episcoporum caetus, ipse eadem ac Apostoli potestate et auctoritate gaudet, quae in Ecclesia perennis esse debet. Quare verissimum est quod dicitur, potestatem Petri fuisse ordinariam, ceterorum extraordinariam. Id iam constituit quoddam discrimen inter potestatem Petri et cuiusvis alterius Apostoli: verum nondum nodum difficultatis plane solvit; nam si personas consideras habentes potestatem, adhuc videntur pares alius quivis Apostolus et Petrus. Scilicet statuitur certe discrimen inter successores Apostolorum et successores Petri; inter Apostolos autem ipsis et Petrum discrimen ad summum existere videtur quoad quemdam modum quo ea potestas singulis inest: nempe ita inest Apostolis ut cum ipsis exspirare debeat, eamque ii nequeant in suos successores derivare, inest scilicet non perpetua, sed tandem desitura; e contrario ita Petro inest, ut perpetua sit futura et inammissibilis. Verum si ratio habeatur potestatis secundum se spectatae, ipsique Apostoli ea fruentes cum Petro conferantur, nullum reale discrimen inter ipsis Apostolos et Petrum ex eo orihi videtur quod ea potestas fuerit extraordinaria in Apostolis, ordinaria in Petro. Quocirca ea responsio non sufficit pro explicanda excellentia et primatu Petri in ipsis Apostolos. Et tamen discrimen inter ipsis Apostolos et Petrum illorumque huic subiectio tanquam capiti in regimine universalis Ecclesiae, ve-

ritas est Fidei definita, ut liquet ex propositionibus in fine Thesis afferendis.

VI. Itaque id demonstrandum est. Ut ergo Petri primatus in ipsis Apostolos verus esset, id requirebatur ut scilicet iurisdictio Petri secundum speciem perfectior esset iurisdictione Apostolorum, atque adeo extensione et intensitate maior, atque ut ipsi Apostoli iurisdictioni Petri obnoxii forent. Iam vero iurisdictio Petri secundum speciem differens et perfectior erat: erat enim potestas *Petrae*, potestas *habentis claves Ecclesiae*, potestas *Confirmatoris*: porro esse *Petram Ecclesiae*, habere *Ecclesiae claves*, *Confirmatorem esse fratrum*, dignitas est specificie differens ab ea dignitate quae est communis aliis Apostolis quae subordinata est *Petrae*, habenti claves, confirmatori: cum ergo potestas Petri respondeat eius dignitati, et sit potestas *Petrae Ecclesiae*, *habentis claves Ecclesiae*, *Confirmatoris fratrum*, est necessario potestas specie perfectior potestate ceterorum Apostolorum. Hinc erat potestas *extensione* maior, se porrigebat enim ad ipsis Apostolos, in quos nullus alias Apostolus potestatem habebat; erat *intensitate* maior, poterat enim 1<sup>o</sup> plures et nobiliores actus quam potestas Apostolorum, eos nimurum actus qui in ipsis Apostolos exercerentur: 2<sup>o</sup> erga ipsis fideles plus poterat quam quivis alias Apostolus: in rebus enim disciplinaribus poterat solvere quod Apostolus ligasset, ligare quod ille solvisset, vel dispensando fideles in lege ab Apostolo lata, vel abrogando eius legem, vel legem ferendo sine consensu Apostoli, eoque etiam non probante; nam fideles omnes primum commissi curae Petri, et Apostoli subordinati Petro erant. Unde solius Petri potestas reapse erat plena, quod notandum est. Itaque potestas iurisdictionis Petri ipsis quoque Apostolos extraordinaria potestate auctos complectebatur, ea enim potestas extraordinaria, quantumvis ampla, erat inferior potestate *Petrae Ecclesiae*, *habentis claves Regni et Confirmatoris*; eidemque subordinata. Itaque *in actu saltem primo* potestas et iurisdictio Petri maior erat potestate et iurisdictione ceterorum Apostolorum.

Quoad *actum secundum* vero sive quoad eius exercitium et effectus, advertere licet quod potestas Petri dupli modo actiones Apostolorum moderabatur. Primo *indirecte*, quatenus nempe cum ius esset Petro exigendi ut sibi tanquam Capiti Apostoli adhaerenter, ii non nisi adhaerentes Capiti Petro, eique ut supremo Pastori visibili oves omnes adunantes, ministerium omne suum docendi regendique legitimate exercere poterant: unde quamvis a Petro missionem Apostoli non haberent, nihilque eis Petrus actu praeciperet, subordinatio tamen Apostolorum Petro, quem fundamentum et caput universae Ecclesiae revererentur, conditio erat necessaria ministerii Apostolici.

Tum deinde *directe* quoque iurisdictio Petri in Apostolos exercebatur vel poterat exerceri; eis enim vere praecipere poterat 1<sup>o</sup> certe quoad eas res quae fuissent praeter missionem universalem Apostolorum, cuiusmodi fuit electio Matthiae, vel quae a toto eorum caetu, vel pluribus ex iis simul fieri debuissent, ut e. g. Synodi celebratio, quae quoad res disciplinares potuisset utilis esse: 2<sup>o</sup> quoad eas etiam res disciplinares quae cum non essent a Christo determinatae, relatae erant arbitrio Apostolorum, et potissimum Petri: iure enim Pastoris supremi et universalis potuisset Petrus ferre leges pro universa Ecclesia, quam nullus Apostolus potuisset solvere, imo cuius observationem debuisset urgere, ne schismaticus esset: eodemque iure poterat Apostolos obligare ut certas leges disciplinares statuerent. Itaque cum potestate extraordinaria Apostolorum Primatus Petri optime conciliatur: vereque Petrus potestate iurisdictionis in ipsis Apostolos fruebatur: ipseque unus plenitudinem habebat potestatis.

Itaque obiicientibus quod Apostolis quoque facta sit potestas universalis ligandi et solvendi, et collatum charisma infallibilitatis, respondendum est quoad 1<sup>o</sup> cum distinctione: potestas ordinaria, neg. extraordinaria, subd. potestas extensione et intensitate par potestati Petri, neg. potestas *impar*, subd. quae proinde exigeret subordinationem Apostolorum cathedralae Petri, et quae non excluderet potestatem exercendae iurisdictionis in ipsis a Petro, conc. quae secus se haberet, neg.

Quoad 2<sup>o</sup> nempe charisma infallibilitatis, respondendum est: extraordinarie collatum est Apostolis singulis citra ullam subordinationem ad Petrum; neg. cum hac conditione ut docentes Petro tanquam Petrae et capitii adhaerenter, ipsique tanquam supremo sub Christo Pastori oves adunarent, conc.

Nec his adversatur quod Paulus Gal. II, 6. dicit, eos qui videbantur esse aliquid (*οἱ δοκούντες*, aliqui addunt *τι εἰναι*, quod in superioribus exstat) Apostolos nempe, qui esse videbantur (h. e. erant manifeste) *columnae* v. 9, nihil sibi contulisse. Loquitur enim Paulus de missione sua, et speciatim de auctoritate docendi seu magisterio, quod a Christo immediate accepit, a quo et immediate edocitus fuit (I, 11. 12).

VII. Qua quidem in re mirari subit nolle Protestantes et modo etiam veteres catholicos intelligere id quod adeo clare Scripturae docent. Cum ipsis proponimus verba Christi dicta ad Petrum reponunt statim eandem potestatem factam esse Apostolis ceteris. Id vero quo argumento probant? quia nempe et illis facta est potestas ligandi solvendi, missisque sunt ad docendum et fundandas Ecclesias in universum orbem. Verum ubi scriptum est aliis quoque Apostolis factam esse

a Christo appellationem Petrae, aliis quoque Apostolis datas esse claves regni? haec uni Petro, non aliis etiam simul sumptis Apostolis dicta sunt. An idem his phrasibus significatur ac illis: quaecumque ligaveritis etc.? verum superius ostendimus non minimum esse inter eas discriben. Rursus cur non advertunt non tantumdem esse potestatem aliquam uni fieri, et eandem fieri pluribus collegialiter adunatis inter quos sit et ille unus? quod quidem iam superius expendimus. Cur nunquam Protestantes solliciti sunt de ratione reddenda huius facti, quod Christus uni Petro singillatim seorsim ab aliis, non Ioanni, non Andreae etc. promiserit et dederit potestatem? Si non erat instituenda nisi potestas quaedam communis, cur non fuit contentus Christus verbis dictis ad omnes Apostolos? videant ergo Protestantes quinam sint qui Scripturis vim faciunt, ipsine a catholicis.

VIII. Doctrina statuens omnimodam aequalitatem inter b. Petrum et alios Apostolos sine subordinatione et subiectione eorum Petro in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae, declarata est haeretica ab Innocentio X decreto S. Inquisitionis 29 Ian. 1647. Et iam Ioannes XXII proscripterat ut haereticam proposit. 2<sup>o</sup> Marsilii Patavini et Ioannis de Ianduno, quod b. Petrus non plus auctoritatis habuit quam alii Apostoli habuerunt, nec aliorum Apostolorum fuit caput (Constit. iam citata). Post quem Clemens VI in epistola dogmatica ad Armenos qui unitatem Romanae Ecclesiae cupiebant (Oderic. Raynaldi an. 1351 n. 3.) proponens credenda id primum interrogat: « Si credis quod b. Petrus plenissimam potestatem iurisdictionis accepterit super omnes fideles christianos a Domino I. C., et quod omnis potestas iurisdictionis quam in certis terris et provinciis et diversis partibus orbis specialiter et particulariter habuerunt Iudas Taddaeus et ceteri Apostoli, subiecta fuerit plenissimae auctoritati et potestati quam super quocumque in Christum credentes in omnibus partibus orbis b. Petrus ab ipso D. I. C. accepit: et quod nullus Apostolus vel quicunque alias super omnes Christianos nisi solus Petrus plenissimam potestatem accepit. »

## CAPUT II.

### DE SUCCESSIONE IN PRIMATU B. PETRI

#### THESIS VII.

« Quod autem in b. Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesu in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem seculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. » (Conc. Vatic. Sess. IV, cap. 2).

I. Sensus non est quod potestas collata a Christo Petro debeat deinceps in Ecclesia esse hoc pacto quatenus scilicet ea succederet Petro in hac potestate; sed sensus est, quod Petrus in primatu a Christo instituto debeat ex eadem Christi institutione iugiter singulares in Ecclesia habere successores quae fundata ab initio super petram, super eandem ad finem usque seculorum firma stabit. Ita Pius VI in litteris *Super Soliditate quibus Eybelii librum: Quid est Papa?* damnat: « Super soliditate Petrae fundamat a Christo Ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere praeceteris electum, qui vicaria potestate apostolici chori princeps exsisteret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam curam auctoritatemque in successores omni aevo propagandam susciperet, dogma catholicum est, quod ore Christi acceptum, perenni Patrum praedicatione traditum ac defensum, Ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores, summorum Pontificum, Conciliorumque decretis confirmavit. »

II. Negant successionem perpetuam in Primatu Petri non ii tantum qui nolunt aliquid peculiare praeceteris Petro fuisse tributum a Christo, sed et qui hoc admissi contendunt id privum fuisse et personale Petro. Quibuscum Dr. Langen ita rationes suas subducit. Verba Christi (Matth. XVI, 18.) spectant e sententia Patrum personaliter ad Petrum, nec umquam a Patribus ea enarrantibus ad eius successores referuntur. Et sane promissio Christi nexa est necessario cum merito confessionis fidei editae a Petro, illud autem proprium fuit Petri, neque in aliquos successores derivandum; ergo et praemium quod pro illa rependitur proprium fuit solius Petri. Pariter munus confirmandi fratres supponit conversionem Petri a lapsu, ipsumque lapsum: haec porro rursus propria sunt et priva Petri. Se-